



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XII. Narratur historia cujusdam nebulonis, qui se Legatum ferens apostolicæ sedis, munera pretiosa ab Abbatibus & Prioribus Angliæ exigebat, ea respuens quæ fastui & ambitioni ejus non videbantur ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

erant instrumenta servitutis. Agit rursus de hoc factu Ottonis idem Parisius occasione narrationis eorum quæ in Concilio illo gesta sunt, his verbis: *Ingressus Ecclesiam, coram majori * Ecclesia pontificalibus se induit, scilicet superpellicio, & desuper cappa choralis pellibus variis furrata, & mitra. Et precedentibus Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi cum processione solenni, cum cruce & cereis accensis, & cum Letania, sedem suam ascendit per gradus pomposè, ut dictum est, preparatam, & jam pomposius tapetis & pallatis redimitam, collocante se à dextris Domino Cantuariensi, & Eboracensi à sinistris.*

XII. Insigne visum est referre locum alium ex eadem historia Matthæi Parisij, de nebulone quodam, cujus ea fuit impudentia ut palam & apertè ab Abbate & Prioribus Angliæ exigeret munera pretiosa, ea respiciens quæ fastui & ambitioni ejus non videbantur esse congruentia, reposcens interim pretiosiora. Præsumpta sunt ista anno MCCXLIV. à Martino sedis apostolicæ Nuntio, qui per modum Legati se gerens, verba sunt Parisij, licet Legati vestibus pro privilegio Regis sophisticè salvando non insignitis, passim significavit imperiosè illi Abbati, vel illi Priori, ut sibi darent & mitterent munera pretiosa, palefridos desiderabiles, & in esculentis & poculentis sumptuosa xenia, & vestimenta adornativa. Quod cum fecissent, ipse Martinus remisit eis quæ ei missa fuerunt, asserens ea esse insufficientia, & præcepit eis ut meliora sibi sub pœna suspensionis & anathematis transmitterent. Suspensit autem omnes à collatione beneficiorum triginta marcas valentium & supra, donec sua satisfactum foret cupiditati. Hominis impudentiam.

XIII. Quod ait Parisius Martinum Legati vestibus insignitum non fuisse pro privilegio Regis Angliæ sophisticè salvando, lucem accipit ex alio ejusdem auctoris loco. Sed antè quàm illum referam, placet alium ejus locum afferre isti similem qui mox descriptus est, ut eadem opera utrumque explicemus. Innocentius IV. mittens identidem Legatos in Angliam ad colligendam pecuniam, non tamen eis tribuebat nomen Legatorum, licet amplissima illos auctoritate ornaret. Aliquot ergo post annis quàm Martinum miserat, cum recens adhuc Anglorum odium esset adversus illum, Marinum quendam, alterum Martinum, (inquit Matthæus Parisius, ad nomen alludens Martini, tanquam si diceret alterum Carilinum) in Angliam misit anno millesimo ducentesimo quadragesimo septimo. Hic igitur, inquit Matthæus, quamvis insignitis Legati non polereti, potestate tamen Legati, ut sic Domini Re-

gis privilegio illuderetur, fortius armabatur. Hæc, inquam, lucem accipiunt ex alio Matthæi loco; in quo loquens de Joanne Rufo, quem Innocentius eodem anno MCCXLVII. misit in Hyberniam, ait ei tributum non fuisse nomen Legati propter privilegium Regis Angliæ, cui concessum erat ne quis in regnum ejus mitteretur Legatus nisi ab ipso postulatus. Hæc sunt verba Matthæi: *Eisdem. que diebus missus est in Hyberniam magister Iohannes Rufus ad pecuniam ibidem colligendam cum potestatis plenitudine quasi Legatus, non tamen insignibus Legati redimitus, ne videretur Papa Dominum Regem Angliæ offendisse, qui privilegio tali se gaudet umbraliter communitum ut non veniat Legatus in terram suam nisi postulatus. Memoratus igitur I. tam vigilanter mandato Papali & sua indulset utilitati & lucro ut sex millia marcarum ab Hyberniam extorsit, quæ per conductum religiosorum in festo sancti Michaelis fecit Londinum transportari & thesauro Papali gaudenter accumulavi.*

XIV. Insignia Legati quæ vocat Parisius, rubras vestes dicit Matthæus Vestmonasteriensis de hoc ipso Joanne loquens: *magnis armatus potestatibus quasi Legatus, non tamen rubris vestibus insignitus, ne videretur Dominus Papa Dominum Regem Angliæ offendisse, qui quodam gaudet privilegio, videlicet ut non veniat Legatus in terram suam nisi postulatus. Eadem Legatorum quæ heic dicuntur insignia, apostolica dignitatis insignia vocantur ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi. Hic enim privilegia quatuor patriarchalium sedium renovans, sancta universali synodo approbante decernit inter alia ut quatuor illi Patriarchæ crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicunque Summus Pontifex præsens extiterit, aut ejus Legatus utens insigniis apostolicæ dignitatis. Dixerat autem Tangmarus, ut supra vidimus, Frithericum, qui Legatus in Germaniam missus est à Silvestro secundo, apostolicis paramentis atque insigniis non minus infulatum fuisse quàm si ipse Papa processisset.*

XV. Hinc patet indumenta Pontificum Romanorum, quæ plurimum splendoris habebant, fuisse communicata cum Legatis posteriorum temporum, non secus ac olim Vicariis apostolicæ sedis Pallium tribuebatur. Quod ut melius intelligatur, ostendendum est præcis illis temporibus vestes Romanorum Pontificum fuisse purpureas. Initium probationis faciendum est à verbis Arnulphi Episcopi Aurelianensis in synodo Remensi habita anno DCCCCXCI. qui loquens de Pontifice Romano hæc dixit: *Quid hunc Reverendi patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc,*

Fide eundem Parisij p. 2. 647. edit. Tigur.

Concil. Lateran. III. c. 13.

Concil. Rem. c. 13.